



P. G. m

1721

1. Arpe, Petrus. Fr. d.: De re quilibetis inter iura
Caesareae maiestatis et ordinum imperii servando.
Oratio inaug. Accesi: Programma: De recentate
et usu studii iuris patrii
2. Mathijs, Henricus, Acad. Pet. procur. et prof. pri-
maries: Programma, quo ad Disputationem Francisci
Immeri. Voglii . . . invitata.
3. Vogt, Franciscus. Immeri: De testamentis secundum
iura Hessicensia et Holistica
4. Hildschmidt, Wilhelmus Hessicensis: Programma, quo
in aug. Disputationem Petri Hemmings invitata.

1722

1. Opilius, Paulus Fr. d.: De Hadriani Imperatoris
monumento, indeole, virtutibus ac vitiis.
2. Vogt, Franciscus Immeri: De communione bonorum
inter conjuges ejusque effectu.

1724.

Vagt, Franciscus Ernestus : De arduo justicium
officio

1725

1. Harpprechtus &c Harpprechstein, Septem Christophorus :
De servitio legali ejusque vario in iure effectibus.
2. Luther, Coriolanus Fridericus : De usu frictionum
in medicina
3. Waltschmidt, Wilhelmus Haldernicus, Ord. med. Decanus
Programma, quo ad mortificationem suam (Georgii Fan-
ket) instat.
4. Waltschmidt, Wilhelmus Haldernicus : De valore
medicinae et chemiae hodiernae-
5. Waltschmidt, Wilhelmus Haldernicus, Ord. med. Deca-
nus : Programma, quo ad mortificationem suam.
(Christiani Joachimi Tisserii) instat

1726.

1. Hane, Philip. Fris: De concertis Lectionibus.
2. Harprechtus de Harprechtstein, Stephanus Christopherus: De iure notarii Hamburgensis.
3. Hartmannus, Ioannes Zacharias: Albertus Simonius
Ducum Saxoniarum . . . Dissertatione, praelectionibus
in ius Romano-Germanicum publicum et fundate prae-
missa collaudavit. Accedit tabula aerea mori-
mentorum Alberto . . . Endae 123 Frs in portum
repraesentans
4. Husius, Fredericus Guiliel: De lucro datus ejusque
privilegiis in concionem creditorum.
5. Husius, Fredericus: De arresto invicuo.

1729.

- 1^o, 6^o, 8^o Hartmannus, Jo. Zacharias: De confituis incantatis
cosanguine separatione. 3 Sept. 1727, 1731, 1741.
2. Hartmannus, Ioannes Zacharias, Ord. iur. Iecamus:
Programma, . . . quo. Disputationem in mag. Ianni Melchisi
Lichotki . . . in Diet.



1727.

3. Iherius, Fridericus Galliob: De donatione onerosa /
4. Iherius, Frider. Galliob: De appellatione ab excessione
time rei iusticatae

1728.

1. Lathemus, Cornelius Fiducios: De morbis simulatis ac
dissimulatis

2. Progarmma inay, Bid. med., quo ad Dissertationem
W. Helmii Henrici Waltschmidt invitatur.

3. Waltschmidt, W. Helmii Hadercii: De vnlneribus
arteriarum in artibus saepe funestis, raro leti-
tibus.

4. Waltschmidt, W. Helmii Hadercii, Farmed. Decamus
Programma, quo Dissertationem inay. Georgii Kry-
szagii intit.

1729.

1. Fricker, Fridericus: De creditis creditorum citiori
vulgo proclamante secundum iura mercatoria et Notaria

Pu. S. 50

1729.

L. Thurius, F. J. von Göllnick : Dissertationis iuridicae
et Consilacionis Thesalan Henrico - Habsburgano
de pecunia papalorum hilo collocaenda.

9. Februar, Berlin, beim 2. Ministranten
seiner Majestät, Generaldirektor und Geheimer Rat
der Kriegs- und Marine-Ministerie, General
Feldmarschall von der Schulenburg

1. Februar, Berlin, bei dem 2. Minister
W. Schleswig-Holstein-Bergedorf und Minister
3. Kriegs- und Marine-Ministerie, General
Feldmarschall von der Schulenburg, Fürst von Hohenlohe-
Langeburg, für die Anstellung meines Sohnes
als Adjutant.

2. Februar, Berlin, beim 2. Minister
W. Schleswig-Holstein-Bergedorf und Minister
3. Kriegs- und Marine-Ministerie, General
Feldmarschall von der Schulenburg, Fürst von Hohenlohe-

Pu. S. 10

8

A

J

D 120.

N

PETR. FRID. ARPE

ANTECESS. KILON.

Pub. 6. 10
Pub. 4. num. 9.

1721, 1

PRIMITIÆ ACADEMICÆ

SIVE
ORATIO INAUGURALIS

ÆQUILIBRIO

INTER

JURA CÆSAREÆ
MAJESTATIS

ET

ORDINUM IMPERII
SERVANDO.

NEC NON
PROGRAMMA

DE
NECESSITATE ET USU STUDII
JURIS PATRII.

KILO CIMBRORUM, LITTERIS HÆREDUM REUTHERI.
M DCC XXI.



LIBER ET LIBER ARTE
VANICOSA MUSICA
PRIMIUS
ACADEMIE
SIVE
ORATIO INNANGRATIS
AD HABITATIONE
JURIA CÆSARIA
MATHESATIS
ORDINUM IMPERII
SERVANDO
MEGO NON
TRIGRAMMA
DE
NECESSITATE ET USU STUDI
IURIS PATER

FRANCIS CHAPMAN LITTERIS HERBARIIS ET IMPRENTA
M.DOC.XVI.

**REGIÆ CELSITUDINIS
SERENISSIMI
CAROLI FRIDERICI
SUPREMI CIMBRORUM PRINCIPIS**

**Sanctioris
Senatus , Statusque
Publici Consilia-
riis & Ministris**

Per illustribus ac Excellentissimis

**DOMINIS SUIS GRATIO-
SISSIMIS**

FELICITATEM PERPETUAM.

REGE CELESTINIANUS
SERENISSIMI
CAROLI FRIDERICI
SUPREMI IMPORUM PRINCIPIS
Sanguinis, Seruitusque
Pupilli Countyis.
Rissq Minutis
Pecuniosus ac Excellensissimus
Dominis suis gratiae
sissimis
Felicitationem perpetuam



I quando reipublicæ causa *Romanorum* olim *Patres* coinitia habèrent, vel aliquod majus negotium, pro salute totius populi aut gentis cuiusdam, fusciperent, *auspicato* illud factum fuisse novimus: quod nihil rite, nihilque providenter, sine Deorum immortalium ope & consilio, agi arbitrarentur. Ideo, si aut magistratus creandus aut confirmandus esset, aut si quis ad populum verba facere instituisset, more solenni, linguis favere, &c, quod *bonum, felix, faustumque* esset, præfari solebant. Hinc, sacris lato vultu peractis, *auspicia* capiebant; quæ si cœptis annuerent, & nemo obnuntiasset, tum, nullo intercedente, pente potestas cum populo agendi concedebatur. Idem pro more institutisque civilibus, in comitiis vestris, mihi facere liceat, AUDITORES, quem Summi & Serenissimi Principis clementia in

A hoc

hoc loco constituit, & dignitate hac mea omnibus ad bene de Republica sperandum, quasi signum aliquod susulit. Hujus TANTI PRINCIPIS *auspiciis* prodeo, cuius virtutes & merita vix cuiusquam mens & cogitatio capere potest.

Verum frequens conspectus vester, multo jucundissimus: locus, ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus: officii delati ratio: negotiorum incumbentium moles me adeo in aditu laudis commovent, ut, quo me vertam, nesciam. Quin etiam, si ingenium considero, quod sentio quam sit exiguum, doctrinæ & eruditionis defectum, levem in dicendo facultatem, quodque nihil huc, nisi perfectum ingenio elaboratum industria, afferri oporteat; non possum non ad bona verba confugere, & a Deo T. O. M. ardentissimis precibus contendere: Ut, quod sua voluntate & aeterno decreto munus mihi magnificum datum est, ipse, omnis boni fons & autor, corroboret atque conficiat. Convertat ipse ad immortalē sanctissimi nominis sui gloriam, Principis, patria Patris, & Republica decus, Academiæ emolumen-tum, Studioſa juventutis utilitatem, omnia mea consilia, operam & studia; ut hec res bene ac feliciter eveniat, & cum Vestrīs consiliis & suffragiis mens mea sententiaeque ita consentiant, ut, quod suscepī officium, Nobis pacem, otium, commodum, concordiamque afferat.

Rata fit solennis hæc Comitiorum precatio, quæ tantam vim & religionem in se habet: rata fit

◎) o (◎

3

sit opto: nec dubito ratam fore, dum læta sequor
auspicia & lætiora quam si ad lævam tonuisset,
aut si quis dextra sternuisset approbatione.

In ista, quæ sœvit, tempestate; in isto patriæ
naufragio; inter crassissimas nubes; inter creber-
rima fulgura medium cœlum Sol nostræ salutis
occupavit & blanda pacis spe terrores & pericu-
la, quibus impares oblectamur, dispellit. Si
more veterum *aves divinas & præagas consuli-*
mus, columbam, pacis nuntiam, in nave sua con-
spexit OPTIMVS PRINCEPS &, quo certior
eventus esset, sibi familiarem reddidit. Plaudite
cives, stata sint & autoritatis plenissimæ, quæ læ-
ti afferunt nuntii!

Si omnia spectamus, CAROLVS FRIDE-
RICUS, Friderici filius, Friderici pronepos, omnia
nobis tranquillitatis publicæ affer certissima.
Ac quemadmodum, in primordiis negotiorum,
MANII, PROSPERI, LAETI nominibus olim gau-
deabant, & Athenienses PHORMIONEM, Romani SCI-
PIONEM felicissimorum Ducum successores, ejus-
dem nominis esse voluerunt; Sic CAROLI
FRIDERICI, maximorum Principum dignissimi
heredis, appellatione immortaliter gaudeamus;
piisque contendamus votis, ut fortuna, quæ in
Ipsius Majorum se societatem gloriæ obtulit, Ipsi
cedat, suam esse totam & propriam fateatur. Vel-
lem equidem (atque utinam hodie existeret) vel-

A 2

lem:

lēm: lātum illum effulsiſſe diem, quo in occurſum SERENISSIMI PRINCIPIS obviā rueret universa Civitas; quo ſtola & purpura amicti, in-ter lātas populi acclamationes, procederent Pa-tres; quo carmina canentes, cum tripudiis & ſo-lenni ſaltatu, in plateis errarent Juvenes. Sed ea eft humanae fortis conditio, ut nihil omnibus numeris & partibus ſuis fit abſolutum, & iis, quæ maxime optamus & cupimus, crebro moram in-jiciat Fatum. Igitur tanti negotii eventum, jam non tam re, quam voluntate, ſpe & exspectatio-ne laudamus. Interea illa ſpes, quæ nos magna tenet, in his & Majorum & ſuis ſedibus brevi re-diturum PRINCIPEM, dubitare nos non ſinet, me bonis & ſecundis auſpicis ſuggeſtum ascen-diffe, ex quo, *Juris publici & patrii interpres*, DE ÆQUILIBRIO INTER JURA CÆSAREÆ MA-JESTATIS, ET ORDINUM IMPERII SER-VANDO, ad vos verba facerem. Nemo qui-dem triste aliiquid obnuntiat: nemo intercedit; atque ita ordiri orationem meam poſſem, niſi ejus eventum pertimescerem: quod de ſalute *Reipubli-cae & statu Germaniae* dicturus ſim, ex quo omnis memoria temporum præteriorum, incolumitas præſentium, ſpes reliquorum pendet. Hæreo, nec, ut videtur, ſine cauſa. Verum, quo majus & gravius eſt argumentum, eo æquioribus auri-bus animisque dicenda percipite.

GER-

5

GERMANORUM inclita natio, tam hostium
terror, quam suorum decus, post res domi foris-
que feliciter gestas, imperium occidentis adepta,
augustissimum hoc Reip. corpus constituit, quod
omnes quocunque officiorum genere & submissio
cultu venerantur. In eo, quamdiu indissolubili
concordia caput & membra inter se invicem
conspirant, & virium robore & amplitudine sua
contra quascunque externi hostis infidias summam
autoritatem & gloriam facile defendit. Si vero
in illo discordiarum semina pullulant, ac nobilissi-
mæ partes inter se in alterius labem & perniciem
conjurant, enervata virtus & fortuna Reipubli-
cae labefactata ruit. *Quemadmodum olim Meno-*
nius Agrippa scitò apoloigo, de discordia membrorum,
docuit, cum invidia populum Romanum in Pa-
tres concitasset, & Plebs gravi civitatis malo pro-
cul ab urbe & laribus consedisset. Hic quidem
concordiae civium interpres & arbiter tunc tem-
poris sanavit discordiam, civesque in urbem redie-
runt, sed cum iis invidia rediit & ignorantia re-
eti, vitium, parvis magnisque civitatibus commu-
ne. Illud immenso durat exemplo &, ut olim
res Romanas perdidit, ita rempublicam Romano
Germanicam graviter, eheu, turbat & affigit:
dum illi incendio Ministri Status & juris publici
Doctores dissidiis suis & cavillationibus largum
nutrimentum præbent. Quos quidem, animad-
verto, in duas divisos esse partes. Quarum altera

A 3

in

in summa & nullis limitibus circumscripta potestate augustissimi Cæsar is ntitur & confidit: altera hanc Majestatem timide & diffidenter attingit, dum jura Ordinum ad illud culmen apicemque rapit, ut divisum sit imperium & dignitas ejus, moderatori & statibus conjuncta & communis, adeo ut quivis Princeps in territorio suo, seu maioris provincia, eisdem privilegiis utatur fruatur, quibus Imperator in sua. Inter has varias & disfidentes opiniones, quomodo mihi ex utraque parte sit elaborandum, si considero, ad fontes primamque originem dissensus accedendum est, ut, qua possum brevitate, *Imperii Germanici* & nostræ doctrinæ fata percurram.

Cum CAROLI cognomento MAGNI celebris progenies in LUDOVICO infante desisset, Germaniae Proceres potestate eligendi & libera optione ad imperium uti frui cœperunt, ita, ut ex diversis gentibus ad summam dignitatem plurimorum consensu illum extollerent, qui præ reliquis & manu fortis & consilii plenus habebatur. Hujus auctorati cum reliqua imperii membra devota mente obsequerentur, Hierarchia triregnū invalluit, & Episcopus Romanus Vicarius Dei & Vice-Deus apparuit, positus super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur in templo Dei, se ostendens tanquam esset Deus & Imperator creaturarum. Hic, omnia divina & humana jura miscens, modo Imperatoris, Domini sui, metu liberaretur, ac pro libidine ipse im-

() o ()

7

imperaret, patrem liberis, liberos parentibus, Imperatorem Principibus, Principes Imperatoribus atroci consilio immisit, ut promiscua cæde in se invicem crudelissime sàvirent. Quo tandem eo res devenit, ut seculo XIII per novendecim annos nemo Rex existeret, qui motus prædonum reprimeret. Ac tum omnia per tumultum sine lege, sine ordine fiebant. Donec RUDOLFUS, ex stirpe *Habsburgica*, imperium capesceret &c, cum ad sceptrum jurare non possent, osculo sanctæ crucis juramenta fidelitatis sibi præstare juberet. Huic Principes, qui studiis & suffragiis suis ad imperium vocaverant, consilio, ope, opera aderant & dignitatem ejus strenue tuebantur: Non tamen, ut duram servitutem servirent, sed ut legibus suis & judicio, nisi in Cæsarem & imperium peccasset, viverent. Quæ cum primi Imperatores, qui ipsi Principes fuerant, illis denegare non possent, inde iura ordinum imperii, magnum ceperunt incrementum. Et, cum primum Imperantium voluntate tacitoque consensu autoritas eorum esset confirmata, postea seculo XIV CAROLVS IV. Rex *Bohemie* & Imp. in comitiis *Norimbergensibus* de ordinum dignitate &c, ut vocant, superioritate publicam legem tulit, quæ, *aurea Bullæ nomine*, inter Germanos magna religione servatur: Quanquam ea ipsa saluti publicæ votum potius quam firmamentum attulisse videatur. Ipso enim defuncto, successorum negligentia, Ordi-

dinum contentionibus & Clericorum insidiis
tanta rerum facta est perturbatio, ut, cum MA-
XIMILIANVS I. ad imperium accessisset, libido
esset pro imperio, neque inter Principes & pri-
vatos ullum jus & potestas, nisi in armis. Ipse
quidem invictissimus Cæsar, calamitatem patriæ
indigne ferens, *pace publica, sanctissimis legibus, co-*
mitionum autoritate, judiciorumque amplitudine me-
delam tanto malo parabat. Ac hospitari primum
mox respirare cœpisset Germania: nisi gravissimæ
in religionis negotio turbæ intercessissent. Ad
quas dum hominum mentes præcipue caligant; ne-
que summis, quæ in eo erant, virtutibus concor-
diā revocare ac utriusque partis sedare impe-
tum poterat. Nam & de salute singulorum & li-
bertate agebatur, pro qua cuivis summa debet
esse contentio. Igitur CAROLUM V, ipsius nepo-
tem, Cæsarem renuntiare Ordines detrectabant,
antequam juramenti fide confirmasset: *Se dignita-*
tem Principum & Ordinum imperii minime conve-
lere & insinuare velle: de rebus Imperii nullum fœdus
aut pactum facere cum externis, nisi de septem viro-
rum consensu: Peregrinum militem nullum in Germa-
niam adducere, nisi consentientibus illis: Quia Romæ
multa fiant adversus pacta quondam inita cum Pontifici-
bus, operam dare, ne fraus Privilegiis fiat & imperii li-
beriati: Si quam habeat actionem in aliquem Ordin-
em, legibus experiri: vim autem nullam adhibere iis,
qui se cognitione legitime sustunt: neminem indicta can-

fa

9

sa prescribere, sed juris ordinem in eo sequi. Cum nihilominus atrox & grave exarsisset bellum, acerbissimo casu periisset Respublica, si Italorum & Hispanorum consiliis res peracta fuisset. Verum post annum bellum fortuna Reipublicæ victrix motus internecivos compescuit, atque patriæ pax, Religioni securitas & incolumitas omnibus restituta est. Quin *Capitulationibus Cesarum*, pacis conventionis, legibusque imperii discordiarum tomes & incitabulum videretur obrutum. Et sepultum, credo, fuisset: nisi versipelles ex Pontificulis quidam ex parva scintilla, folliculis subjectis, magnum excitassent incendium, & tricennale bellum, crudele & exitiosum. In quo de aris & focis, de fanis & templis, de avitis sedibus, de imperio, de libertate, de salute Germaniae, de universa denique Respublica fuit decertatum. Tandem etiam deflagravit, & cum, lites magna cum calamitate esse coniunctas, docuisset eventus, de pia & æterna pace actum est, quæ Monasterii & Osnabrugæ apud Westphalos fuit sancita.

In qua cum summo studio curaque, de Majestate Imperatoris & libertate Ordinum quid justum censerent, totius Europæ & imperantium & eruditorum corona constituisset, ea vero, in quibus scopum attingere non potuerant, Pace Nöiomagensi, Rövicensi & Badensi dilucidius fuerint explicata, monstri simile foret, quenquam de his, quæ sunt talia, item movere & nodum, ut dicimus, in circulo quæ-

B

rera.

rere. Quod tamen inter juris publici Doctores ea animorum concitatione & verborum strepitu quotidie agi videmus, ac si per triduum nihil aliud, quam *philippicus* Demosthenis aut *Catilinarias* Ciceronis legissent. Scilicet nemo non rebus aliquid assert præjudicii & quam opinionem mente comprehendit sua, sterilem licet & inanem, confirmare & servare optat.

Cum literis, post crassissimas ignorantiae te-nebras, suum rediret decus, *Aristoteles* scholæ suffragiis primum occupabat locum & plus quam dictatoriam potestatem. Hic cum nullam Rem-publicam, nisi *Monarchia*, *Aristocracia* vel *Democra-tia* foret, salvam esse posse, graeco ingenio finxit; scholastici, qui in barbati magisfri verba juraverant, interiturum orbem augurabantur nisi imperium *Germanicum* esset *Aristotelicum*. Non obser-vantes, temperationem Reip. in descriptione Ma-gistratum esse, ex quorum compositione, quod eiususque Reip. genus est, intelligitur. Quæ cum Majores nostri prudenter & moderate instituis-sent, superflua in hac parte erat Græcorum di-sciplina. Accedebat, quod in scholis publicis, quas academias vocant, nullum jus præter *Civile Romanum*, aut *Canonicum* dictum proponeretur. Cujus Doctores, antiqui moris tenacissimi, sta-tum Germaniae ad *Romanas* & *Græcas* leges revoca-bant, aut ad *constitutiones ecclesiasticas* enodabant. Quo studiorum genere et si nec sibi nec aliis satisfa-ce-

◎) o (◎

11

cerent, ferebat tamen ita genius seculi & studiorum
cultus: donec ante centum & quod excurrit annos
jus, quod *publicum* dicimus, in numero disciplina-
rum veniret ac *Daniel Otto* cum *Paurmeistero* no-
vam ei formam induerent. Tum alia rerum fa-
cies esse cœpit, & de'variis rebus, ad Rempubl.
spectantibus, summa cura & diligentia quæsitus
fuit.

His temporibus flagrabat tricennale bellum,
& non minore animorum concertatione quam ar-
mis inter se partes digladiabantur, cum sub isto tur-
multu personatus ille Hippolitus a Lapide pro-
diret & temerario ausu, Imperatorem ordinibus
inferiorem, & domum *Anstria*cam, veluti pu-
blicæ pacis remoram, extirpandam esse, doce-
ret. Quisquis ille, sive Ioannes a Rusdorf, consi-
liarius Palatinus; sive ex consiliariis Regis *Suecia*;
Ioannes Drans; Ludovicus Camerarius; Salvius;
aut, quod plurimorum fide nititur, Bogislaus Phi-
lippus Chemnitius. Dehinc nata est *politica heresi*,
de qua nobis sermo est! Cæsar tam impuden-
ti hominis assertogravissime commotus læsæ Ma-
jestatis reum postulavit, librum habere legique
vetuit, poena sancta, qui impia[m] doctrinam re-
petere instituisset. Sed quo gravius in hunc au-
torem publica severitas animadvertit, eo magis
innotuit: servati lectique sunt libri, qui cum peri-
culo parabantur. Præcipue cum ex altera parte
alii non minus in doctrina juris publici peccarent:

&, ut Hippolitum immortale odium in illustrissimam gentem in devia rapiebat, ita illi e contrario, stirpem austriacam in cœlum laudibus effrenentes, Principes glebæ adscriptos projectaque viiores alga haberent. Pontificulifere omnes, *Sluterus*, *Brugmannus*, *Reinkingius*, *Oldenburgerus*, sub *Pacisci a Lepide* nomine, aut quem spes pulchra novarum dignitatum laetabat. Intercessit *Hermannus Conringius*, vir non corpore sed ingenio magnus & in rebus patriæ versatissimus, qui, ringente frustra *Tabore* cum sociis, magna sui laude scientiæ nostræ medicas manus attulit. Hujus ut & *Boinenburgii* prudenterissimis monitis si obsequi voluisset erudita natio, non tot eorum antesignani in litibus æatem contrivissent aut tot impotentis animi documenta dedissent. Sed jacta erat alea, nec generosa tam facile defervescit ira, quam implacabilem multi & æternam servant. Ideo cum *Samuel Pufendorfius*, vir literis meritisque illustris, nova de statu Imperii Romano Germanici cogitata sub *Severini de Monzambano* nomine propalasset, iterum bellum inter literatos intestinum exarsit, & censores & commentatores hujus *Monzambani*, *Martinus Schöckius*, *Io. Ludovicus Praschius*, *Christianus a Teuteburg*, Huno ab Hunefeld sive *Schurzfleischius*, *Zellerus*, *Scharffschmidius*, *Obrecbtus*, *Thomassius*, viriliter in hac palæstra sudarunt; atque hoc fuit inter juris publici antecessores pomum Eridos & dissentendi nobile incitamentum. Abhinc par-

) o ()

partium studium gloriae & pretii loco esse
cœpit, & multi veritatis maluerunt, quam suscep-
ti patrocinii, vadimonium deserere.

Cumque una & simplex sit veritas, quam,
investigando adeptam, ira odioque amittimus.
Multi hæc ne nauci habent, quærunt opinionum
Sectatores, non veri studiosos: ad remos, ad
bestias ad metalla damnantes, qui dissident.
Hinc multi in regia veritatis via cespitant &,
dum vel austriacæ domus florentes laureas im-
modicis laudibus extollunt, vel Ordinum jura
aut Superioritatem territorialem nullis aut laxio-
nibus, quam decet, limitibus circumscribunt, im-
potentis & imbecillis animi motus produnt. Tor-
tores & carnifices *angustissimi corporis*, qui capiti
membra, membris *illusterrimum* caput auferre
tentant.

Indignus nomine *Germani*, qui Cæsar is Majestatem
non vereatur, inyictissimam gentem austriacam
laudet, Jura Imperatoris & summam dignitatem
salvam esse velit; in qua salus & fortuna Reipubli-
cæ, tanquam *Palladio* suo est collocata. Non mi-
nus tamen servilis animi & adulatoris effet, inter ju-
sta Imperatoris præconia libertatis germanicæ
memoriam perdere & Summorum Principum
jura, pacis conditionibus & publica fide stabilita,
infirmare. Summum concilium; illa, quæ perpe-
tuo *Ratisbone* durant, comitia; illæ pro publica sa-
lute excubiae, dum *Cesari*, salyis Ordinum privi-

legiis, fidem, cultum, reverentiam, obsequium
humillime praestant, quid agendum monendum
que sit, docent. Non quidem ac si in illo celebre-
rissimo confessu nunquam in diversas sententias eant:
sed hic dissensu mater est publicae securitatis, eo-
que majus pondus nostris rebus indit, quo saepius
singula ad incudem & lancem revocantur.

Illa diutina & per tot secula constans regi-
minis conservatio: libertatis defensio: amicorum
fiducia: hostium terror: florentissima civium con-
ditio per haec Comitia propagata, propugnata,
conservata, certo certius ostendunt, hanc esse Di-
vorum fedem, neque, quicquid missent censores,
desisse oracula. In rebus gravioris momenti Ju-
piter, ut in fabulis est, cum omnibus imperaret,
convocabat Divos, ex quorum consilio aut pacem
stabiliret, aut fulmina emitteret. Sic Imperato-
ria Majestas clementissime Summos Imperii Pro-
ceres in consilium adhibet, tam ad pacis leges
quam belli stabilendas, & Pater Patriæ mavult
quam Tyrannus salutari, tam omnium commo-
dis, quam suo studens imperio. Hinc sanctissima
consilia & ex paterno affectu, in superbos bellum,
in victos clementia, in aggressores poenæ, in op-
pressis fidelissima auxilia præsto sunt: novatores
monitis, pertinaces objurgationibus, infidi & in-
obedientes armorum metu coercentur. Felix si
unquam Tanto Duce Germania.

Atque ideo ilie mihi pro Junone nubet am-
plexi

❀)o(❀

15

plete videtur, qui Principes servos & glebae adscriptos asserit, eoque nomine *Cæsar*is gratiam aucipari audet: ut nec ille Principibus nec cuiquam bono charus est, qui Christiani orbis primum & præcipuum decus inficetis disteriis provocat. A sapiente omnis proterveritas & petulantia oportet esse aliena. Præcipue in rebus tam gravis momenti, in quibus sine periculo bis peccare non licet.

Jam per singulas partes eundo, quæ jura *Cæsar*is, quæ jura *Ordinum* docerem, nisi me dicendi copia obrueret, qui benevolentia Vestra & patientia abuterer, si, ut cœpi, pergerem dicere. Ac ut verum fatear, si delati muneris rationem perpendo, quæ me huic studio, dum vita supereft, vacare jubet, illam doctrinam, cui tantum temporis datum est, me per horæ spatium tradere valere, despero. Erit, erit alia idonea differendi opportunitas & moderatum & honestum otium, ne quid reticendo subterfugiam aut dicendo obscurum.

Tum invictissimi *Cæsar*is laudes pandam, tum OPTIMO PRINCIPI, dum referre non possum, agam.

O mibi tam longe maneat pars ultima vite
Spiritus, & quantum sat erit Tua dicere facta!
Non ingratus sed impius essem, si me tanti beneficij caperet oblivio. Æterno illud colam obsequio;
non solum dum anima spirabo mea; sed etiam,
dum

dum vita deficit, monumenta hujus benignitatis & gratiae permanebunt.

Cæterum, AUDITORES PERILLUSTRES & CLARISSIMI, vobis pro prolixo in me affectu maximas & mirificas reddo gratias, atque, ut eadem benevolentia, quia cœpistis, me per totum vitæ curriculum amplecti velitis, rogo. Quo cum nihil jucundius mihi aut charius accidere possit, de vobis bene mereri in omni officiorum genere curabo. Evidem hodierno die Vobis promitto semperque præstabo, mihi neque in consiliis de Academia capiendis *diligentiam*, neque in periculis ab ea propulsandis *animum*, neque in sententiis ferendis *fidem*, neque in perferendo labore *industriam*, neque in patrocinio veritatis *liberatem*, neque in commodis Vestris augendis *gratiam animi benevolentiam* ullo tempore defuturam.

D I X I.

PROGRAM-

PROGRAMMA
DE
USU ET NECESSITA-
TE STUDII JURIS
PATRII.

(1) CIVIL PROGRAMMA



Uod M. Tullius (1) refert, Rom^a
aliquando Scauri de vita sua ad L.
Fufidium libros, sane utiles nemini-
nem: at Cyri vitam & disciplinam
legisse, praeclaram illam quidem, sed
neque tam rebus iisius civitatis aptam, nec Scauri
laudibus anteponendam. Illud mihi quidem inter
juris Interpretes locum habere videtur, qui non
instituta maiorum & leges sane utiles, sed an-
tiquitates Romanas & Grecas, magna cura expli-
cant, praeclaras illas quidem, neque tamen re-
bus Germaniae aptas, neque patriæ laudibus ante-
ponendas. Scilicet multi peregrina malunt
quærere quam sua & dum aliorum opibus in-
hiant, res suas fastidiunt. Antiquo more, quo
omnes prope modum gentes, quacunque etiam
invidia inter se laborarent, vicinorum malue-
runt consuetudines scrutari & summam iis au-
toritatem conciliare, quam quid inter se ipsos &
con-

(1) Cic. in Bruto. c. 29.

constantissime fiat & optimum jubeatur, percipere. Quæ si a Diis immortalibus familiaric colloquio se acceperint gloriarentur LLatores, parum aberat, quin effata divina communi opinione crederent: quod præceptorum tanta vis, tanta sententia esset, ut ea non hominis cuiquam, sed Delphico Deo tribuenda esse videretur: Ita, ne de *Chaldaicis* aut *Ægyptiis* dicam, inter Græcos *Lycurgus*, *Plato*, *Solon*, nec non *Pythagoras*, ad leges ex *Ægypto* petendas, exilia potius quam peregrinationes suscepserunt; a quibus Nomothetarum Principibus *Anacharsis* Schyta, *Zamolxis* Geta, *Zaleucus* Locrensis, *Charondas* Thurius, Reipublicæ constituendæ & conseruandæ rationes, acceperunt. Sic *Romani*, *Tuscorum* placita sub Numa Pompilio, *Grecorum* sub Decemviris propriis institutis anteferre non dubitarunt. Quæ quidem leges decem tabularum, in illo immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique juris fuerunt habitæ. Imo vero *jus civile Romanum* fere peregrinum erat, cum *Iustinianus* in *Ithracia* corpus juris, quo utimur, compilaret dum vix umbra Romanæ Reipublicæ, in fæce *Romuli* supererisset. Quod ipsum *Tribonianus* & reliqui græci, libris ICtorum veterum, ex quibus veri juris germanæque justitiae imaginem descriperant, igne deletis, penitus peregrinum reddiderunt. Felicissimo ausu, quod licet ipsius discipuli, mille septingentorum & amplius annorum mores tenere & intelligere co-

gantur, antequam de suis rebus recte sentire, audeant, eius tamen doctrina in foro & Academiis plerisque adeo triumphet, ut Imperatoris famigeratissimi imperandi & prohibendi sapientia, mera fuerit divinatio.

His aliisque argumentis mirum in modum sibi placent, veteris prudentiae *Justiniane* proci, qui studio antiquitatis, magnitudinis Romanæ memoria, inventionis subtilitate, humanitatis virtutis acerrime contendunt, gypsatas illas & interpolatas *Triboniani* & aliorum leges, candorigermanicorectius convenire, quam quæ vel sana ratio vel sanctiones maiorum dicitent. Ac si togas *Grecis*: cultum barbaricum *Romanis*: Vestem *Sarmatarum* & *Parthorum* fluitanter majoribus nostris, qui stricta & singulos artus exprimente distinguebantur, decentissimam fuisse & laudatissimam nobis persuadere possent.

Cum considererent *Athenienses* Apollinem Pythium, quas potissimum leges tenerent, oraculum editum est, que essent in more maiorum. Quo cum iterum venissent, Maiorumque morem dixissent, saepe esse mutatum, quæsivissentque quem morem sequerentur potissimum e variis: Respondit, optimum. Et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum & Deo proximum, quod optimum. Optimum autem est, quod Reipublicæ salutare, cuius tenendus nobis & servandus status, omnesque leges accommodandæ ad illud civitatis genus, in quo vivimus. Sane felicio-

ciores arbitor nostræ patriæ incolas olim fuisse, si-
ne legibus scriptis, quam Romanas illa edictorum
copia, cum apud illos plus boni mores valerent,
quam alibi bone leges. Ac si oratorem qui pere-
grino habitu coronatus & palmas gestiens tan-
quam in *Areopago* & pro rostris dicturus, in concio-
nem progreditur, ineptum & ridicularium habe-
mus, quod aliquid insoliti, extranei, nec nostris
moribus conveniens molliatur, legum orationis
& decori tenaces. Quid in legibus fiet? unde
omnis Reipublicæ dignitas, omnium civium sa-
lus, vita, libertas, bona, fortunæ. In quibus ta-
men non nostra plerumque quærimus, sed *Roma-*
na & *Greca*. Quid sibi vult hæc peregrinitas?
hos apud latinos is dicebatur, quem nunc *pere-*
grinum dicimus. Ille legum peregrinarum a-
mor, ex ignorantia recti, invidiaque provenie-
bat, cum aut gentis sapientiæ laude inclytæ le-
ges felicitatis publicæ fulcra, reliqui admiraren-
tur, amarent, colerent: aut ob intestinum odium
peregrinas leges petere e re sua fore arbitraren-
tur. Alias patrii moris erant observantissimi,
& *Graci* Regem Persarum, vitæ suæ arbitrum in fa-
lutatum relinquere, quam barbarum salutandi
morem imitari malebant. Nobis autem non imi-
tari *Greco*s & *Romanos*, aut potius legislatorem
Thracem, sed obsequi dulce & decorum est, quem
in rebus gravissimis, dum de nostro imperio ne
sciniavit quidem, oraculi instar consulimus.
Hæc & alia in eam me sententiam trahunt, ut

non a Prætoris editio, aut responsis Prudentum, ut plerique nunc, neque a duodecim tabulis ut superiores, sed penitus ex intima philosophia moresque patris hauriendam juris disciplinam putem.

Hujus meæ sententiæ judicique ut rationes reddam, de principiis juris & quibus modis ad hanc multitudinem infinitam & varietatem legum perventum sit altius differere libet. Vetusissimi inquit C. Tacitus (1) mortaliū, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur. Et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exiū equalitas, & pro modestia ac pudore, ambitio & vis incedebat; provenere dominationes: multosque apud populos aeternum mansere. Quidam statim aut postquam Regum pertesum, leges maluerunt. Ha primo rudibus hominum animis, simplices erant: maximeque fama celebravit Cretenium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Atheniensibus quaestiores jam & plures Solon praescripsit. Nobis Romulus, ut libitum imperitaverat: dein Numa religionibus & divino jure populum devinxit; reperta aquæ quaedam a Tullo & Anco: sed præcipius Servius Tullius sanctior legum fuit, quis etiam Reges obtemperarent. Pulso Tarquinio, adversum Patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis, & firmandæ concordia: creatique Decemviri, & accitis, que usquam egregia, composita duodecim ta-

bu.

(1) Tacit. libr. III. annal. c. 26.

bulæ, finis æqui juris; Nam sicutæ leges et si aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen diffensione ordinum & adipiscendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latæ sunt. Hinc Gracchi & Saturnini, turbatores plebis; nec minus largitor nomine senatus Drusus; corrupti spe, aut insusi per intercessionem socii. Ac ne bello quidem Italicu[m], mox civili omissum, quin multa & diversa sci-ferentur; donec L. Sulla Dictator abolitis vel conver- sis prioribus, cum plura addidisset, otium ei rei haud in longum paravit; statim turbidis Lepidi rogationi- bus, neque multo post Tribunis redditæ licentia quo- quo vellent populum agitandi, jamque non modo in com- mune, sed in singulos homines late questiones: & cor- ruptissima Republ. plurime leges: Quas veluti Pon- tifices religione & verborum aucupiis: Pretores, novis in albo edictis propositis: Icti animo & doctrina dissentientes, responsis suis, multa no- ñe obvolvebant, ita postquam libido pro impe- rio esse coepit SCta, sanctiones: Principum oratio- nes: edicta; mandata; decreta, epistola; rescripta; consti- tutiones: nec non Prudentum responsa eo numero inva- luerunt, ut quod primum caput juris, & posterius doctissimi saepius ignorarent: Quod igitur Sum- mi Viri optaverant, ut jus civile ad certum mo- dum redigeretur & ex immensa diffusaque legum copia, optima quæque & necessaria in paucissimos libros conferrentur: efficere & invitox coegit necessitas, & Fl. Vespasianus SCta & Plebiscita: Ha- drianus Imp. Praetorum edicta, moribus domesti- cis

cis & urbanitate limata, ediderunt. Quernad-
modum constitutiones Principum post *Julium*
Paulum & *Papyrium Iustum*, *Gregorius* & *Hermo-*
genianus *JCTi* singulis codicibus: quibus tertium
addidit *Theodosius* junior Christianorum Constitu-
tionibus spectabilem, ut tamen *Papiniani*, *Pauli*,
Caii, *Ulpiani*, *Modestini*, *Scævole*, *Juliani*, *Sabini*,
Marcelli, *JCTorum* autoritas summa & integra
manceret. Quorum commentariis eo res rediit,
ut cum ad immensa veteris prudentiae volumi-
na suam curam extendisset *Iustinianus Imp.* opus
desperatum vocet, quod quasi per medium profundum
euntes, cœlesti favore adimpleverit. Hic quidem
post bella æterna pace sopita, leges antiquas jam
senio prægravatas, per suam vigilantiam, in no-
vam pulchritudinem & moderatum compendium
perduxit: quod nemo inquit ante nostrum imperium
unquam speravit neque humano ingenio
possibile esse penitus existimavit. Et has leges
adorare & observare omnibus antiquioribus
quiescentibus jussit, nemoque vestrum audeat,
inquit, (1) vel comparare eas prioribus, vel si
quid dissonans in utroque est requirere, quia
omne quod hic positum est, hoc unicum & so-
lum observari censemus. Sed Cæsar & gentis
vitio locutulejus, ipse sibi theatrum est & ni-
mium plaudit, dum leges in luculentam ere-
xisse consonantiam putat, nullo titubante reli-
cto. Cum hæ ex venustissimo corpore laci-
niæ, nunquam eam, quam sperabat, dignita-
tem

(1) *Iustinianus*. in prefat. Pandect.

tem sint adeptæ, multo minus inter Germanos publica unquam auctoritate in forum introductæ. Quod enim de Lothario Saxone vulgo narrant, (1) fabulam sapit:

Quin eo ipso tempore, quo jus Romanum Doctorum opera in magna celebritate versaretur & Imperatore eorum consilio, magnifice commendarent, illud patriis tamen legibus nunquam anteposuerint aut observare jussierint.

Semper enim Germanorum inclyta natio suis legibus vixit & secundum patrios mores judicium sententiamque ferre docuit. Primit quidem temporibus, Principes regionum & pagorum, sine lege scripta, inter suos jus dicebant, controversiasque minuebant: nec præcones actionum nec formularum cantores, nec verborum aucupes: omnem fori Romani pompam & solemnia irrisui & odio habentes, curabant. Postea cum saeculo V. victoria passim circumferrent arma, & imperii fines latissime extenderent, more, aliarum gentium, leges ex patriis consuetudinibus haustas descriptasque sibi constituere, placuit. Verum cum in unam eandemque legem, populus libertatis amantissimus consentire difficulter posset, plures leges pro genio saeculi & rerum suarum conditione, tulerunt; quales Saliorum, Longobardorum, Gothorum, Burgundionum, Francorum, Frisiorum, Anglorum, Varinorum, Alemanorum, Bajupar-

B

rig-

(1) Conring, de orig. jur. Germanici c. 20.

riorum, Ripuariorum, Westphalorum, Saxonum, &c.
in quibus emendandis Hildebertus, Theodoricus, Dagobertus & alii Reges Francorum Sec. VI. multum
& vehementer desudarunt: variis ut vocant, capitulariis five constitutionibus subveniendo. Quæ Carolus Magnus, justitiae patriæ cultor & tutelaris genius, studiose collegit, pura & incorrupta consuetudine emendavit, novis sanctis auxit. Cujus exemplo huiusmodi capitula & reliquæ in Imperio successores condiderunt, ita tamen, ut nihilominus devictæ gentes, legibus suis popularibus vivere, ut solebant, pergerent. Hoc modo cum Romani & reliquæ Italiam gentes, Jus Romanum, umbram pristinæ magnitudinis, victorum indultu retinerent, illud urbe capta, Francorum Imperatoribus innotuit & ob antiquitatem, elegantiam & præclaram legislatorum doctrinam, summo in honore esse ccepit. Nervus tamen rerum gerendarum & omnis vis æqui bonique, in consuetudinibus gentium & voluntate imperantium erat, ut capitula Cæsarum testantur, quæ jam tum ab Ansegiso, Benedicto levita, Burchardo Wormatiensi magna diligentia præcipue circa res ecclesiasticas fuerunt collecta, & ad nostram usque memoriam in antiquis monumentis, nec illaudata supersunt. Quanquam cum tineis & blattis diu rixari oportuit, cum Juris Romani Doctores, qui seculo XII. increbuerunt, alto ista supercilie contemnerent. Illo enim tempore, cum literis latinis & græcis suum rediret decus,

&

& singulare fato sub *Lotario Cæsare* codex *Pan-*
dectorum ille Florentinus, *Amalfi* esset repertus,
eruditus subito *Archimedis* illud *evgenia*, inclama-
bant. Hoc palladio *Themidis* mirum in modum
crevit italicis juris scientia, qua *Imperatores* dele-
tabantur, *Gibellini* seculo XIII. gaudebant. Illi
quidem quod *Divorum Constantini*, *Theodosii*, *Justi-*
niani & aliorum Sancitis possent aliquo modo ef-
frænem *Clericorum* licentiam coercere, qui orci
galea muniti, imperii Majestatem, perfidis armis,
impugnabant. *Gibellini* vero, quorum nota est
factio, summo studio amplectebantur, quod per
hujus juris interpres, *legistas* dictos, possent
Guelforum *Canonistas* crabrones, foro depellere.
Quin & singuli aliquid pro affectu ex voluntatis
sententia in isto juris penu, quod inflammaret
& illiceret, invenirent. Viri prudentes & graves
mirabantur romanæ gentis, dum floreret, *inte-*
gritatem & legum *equitatem*: Eruditæ elegantiam,
copiam, scholastici subtilitates, solennia, fictiones,
verborum *ancupia*; Rabulæ ambages, tricas ad
occultam tyrannidem in judiciis exercendam
perinsignes, quos boni illi, *majores* nostri
ignorabant. Ita non vilis erat legum romana-
rum autoritas, sed non eo vim suam ex-
tendebant, ut usum vincerent & mores, quibus
innutriti Germani cum sine fastidio percepissent,
libentius obsequabantur; Verum hi mores, cum
multi & varii essent, inde varietas juris germani-
ci & dissensio maxima. Quippe quod apud

B 2 ple

plerosque populos praeter jus civitatis, quod
sibi constituerant, multa specialia & peculiaria
jura in provinciarum judiciis obtinerent. Cu-
jus loci sunt, jus *cælibum* Hagesolhen-Recht /
mortuarii, *decimarum*, *obstagii*, die Bauer-Miethe /
das Gau-Recht / das Au-Recht / das Gast-
Recht / das Schillings-Recht / Schuff-Lehn-
Recht / Rothschier-Recht / Faust-Recht sive cam-
pionum & duellionum, naufragiorum, avariae, bodme-
ria, sapule, geranii &c. Ex hac legum multi-
tudine oriebatur veritatis neglectus, suffragio-
rum confusio, judiciorum dissensus, multiplex
& perpetua fori disceptatio, irrevocabilis error.
Quibus tenebris, majores Clerici offundebant te-
nebras, sanctorum *canonum* perplexa discipli-
na & impudentissima interpretatione, qua haud
raro Imperii salutem vexabant, evertebant.
Adeo, ut ob tantam juris incertitudinem & le-
gum popularium abundantiam, omnes boni
quocunque tempore vehementius ingemisce-
rent. Ideoque Fridericus I. Imperator apud
Roncalias convocabat Principes, ut leges pacis pro-
mulgaret & de iustitia regni, que multo jam tempore
apud illos obumbrata in desuetudinem abierat, perne-
cessaria sapientum collatione differeret, diuque obsole-
tam elucubraret. Idem Anno 1187 in comitiis No-
rimbergensisbus de pace publica vulgavit den
Friedenbrieff: legem *Alemannis* gratissimam.
Ottone IV. autore, jurabant Principes, omnia
jura a *Carolo M.* instituta, observanda, tenenda
Nec

Nec ignota est Friderici II. Imp. in legibus patriæ restaurandis circa Moguntiam cura. In primis *Rudolphus Hapsburgicus*, post famigeratissimum Sec. XIII. inter Regnum, justitia & legibus afflictæ patriæ opem ferre parabat & plereque gentes de jure *Saxonum* & *Francorum* in judiciis fervando consentiebant, tum ob legum æquitatem, tum quod scripto traditæ Speculi & *Saxonici* & *Suevici* nomine venirent & publice legerentur. Qua quidem ratione totam Germaniam in superiorem & inferiorem dispescabant, & ad hunc dum Vicarios Imperii *Cesar*, si decessisset, constituebant, ut rixarum & litigiorum finis esset. Sed publicæ saluti eo instituto potius afferebant votum quam fundamentum. Cum Cæsares enim & Princes nova subinde edicta proponerent, antiqua, nisi penitus in desuetudinem abiissent, servarent, singularum civitatum jura confirmarent, imo regionibus & pagis autoritatem LLatoriam haud gravatim concederent, exinde juris patrii studium hydram lernaciam referre coepit,

Cui nullum caput est impune recisum

Quin gemino cervix herede valentior effet.

Exemplo sit *Hol'satia* nostra, ut lactis & frugum, ita legum feracissima, in qua tot diversi juris sunt species, quot præfecturæ & civitates, quæ in non adeo ampla regione trigesimum numerum excedunt. Ne enim diversas juris Cimbrii species ab ultima stirpe nostræ gentis repeatam & in legibus *Odini*, *Skoldi*, *Frothonis*, *Canuvi*, *Haraldinis* aliisque explicandis prolixus

sim, in ducatu Schlesvicensi præcipua autorita-
tis est codex ille legum Danicarum, dat Low-
Bock dictus, secundum cuius iussa, judices
sententias in dicasteriis, nisi provincialium, ur-
biumque statuta obstant, ferre consueuerunt.
Singulis enim fere provinciis suo jure uti Prin-
cipum indulxit clementia, ita ut apud Friesos, qui
tractum maritimum in præfectura Tunderensi
incolunt, antiqui juris celebratae gentis, sed jam
emendatae, reliqua adhuc supersint. Non tamen
ut vicinos in exemplum suum trahant, qui
in Strandia septentrionali, Eiderostadia, Stapel-
holmia, Femaria jure provinciali suo gaudent
& utuntur. Inter urbes Slesvicum Flensbur-
gum, Husum, Tominga, Gardinga, Fridericopoli-
s, Ecklenforda non solum jus suum municipale
servant, sed Husum etiam jus maritimum
sibi proprium vindicat. Et quanquam maxi-
ma ex parte inter se consentiant, paucis pa-
gellis contineantur, typis vix exscriptæ in scri-
niis civitatum delitescant, nec omnes publica
autoritate sint sanctæ, dum tamen in foro ob-
tinent, nec quisquam suo jure cedere velit, igit-
tur I Ctorum nostratum illa legum varietas
exercet diligentiam.

In Holstia Constitutiones & Recessus Ro-
mani Imperii primo loco merito censendi, in
quibus si nihil de re proposita sanctum, neque
præjudicata ei & consuetudines lucem afferunt,
equestri ordinis viri & viriculae juris Saxonici
effa-

effata cōsulunt, & more antiquo solenne iudicium, Ding und Recht dictum, constituunt. In civitatibus degentes Ius Lubecense colunt; ita tamen ut diversis in locis diversæ obtineant patrii juris species, Ordinatio juris provincialis, vulgo die Landgerichts Ordnung / Constitutio aulica Schaumburgica, jus provinciale Ditmarsicum, jus municipale Hamburgense, jus maritimum Hanseaticum, die Policey Ordnung / die Christl. Kirchen Ordnung ut quibus si jus civile Romanum, Canonicum, feudale adjeceris, quis legummodus & numerus? quale huic malo erit remedium!

Subvenire quidem ei diversis temporibus imperii & patriæ patres voluerunt, Carolus IV tus aurea bulla; Fridericus III. reformatione politica; Maximilianus I. pace publica & ordinazione camerale; Carolus V. pace religiosa & constitutione criminali. Verum saluti publicæ & juris prudentiae allevamentum potius attulerunt quam medicinam, & quod Academiarum Professores ex fontibus juris romani justiniane haustum salutare poculum porrigit, haud raro soporiferum existit. Quamdiu enim legum publicarum & antiquarum consuetudinum existimatio in aula & foro inconcussa & integræ est, ius civile romanorum dirimendis litibus & suum cuique tribuendo sufficere nequit: cum potius id subsidiarium sit, ut deficientibus legibus aut consuetudinibus germanicis, ex eo æquitatis fontes indagentur: quippe quod artem potius juris doceat, quam legum vicem suppleat. Igitur redeundum ad

ad oceanum confusione*s* *jus sc. patrum*, quod
Delionataore indiget & *Hercule statore*, qui sancta
patrum in unum codicem redigat & in universum
omnes commun*i* jure uti jubeat. De quo
utilissimo opere cum plus una vice tam in comitiis
provincialibus quam **SUMMORVM VIRO-**
RUM consilio frustraneo conatu sit actum, hanc
gloriam fata **HEROI** servare videntur, quem
jam non tam re quam voluntate, spe & expe-
ctatione laudamus.

Interea spartam clementissime mihi de-
mandatam pro virili ornare & quantum in me
est virium Vestris commodis intendere **COMI-**
LITONES constitui, quod meum officium, eo
animo & affectu, quo Vobis offero, ut acci-
pere velitis, qua possum humanitate contendeo. Ac
quemadmodum in *juris publici decretis* explican-
dis, nulli qui voluntatem mihi suam & diligentiam
probaverit, deero. Ita **HISTORIAM JURIS**
ROMANO GERMANICI ad has quas duco li-
neas, publicis lectionibus propediem copiose enar-
rabo. Quicquid præterea ctii liberalis & honesti
supererit, Vestris quoque commodis impertire,
semper mihi volupe erit, donec **INSTITUTI-**
ONES JURIS CIMBRICI, ea qua par est fide
& diligentia consignatas, vobis offerre valeam.
Adeste aequo animo: *Favete linguis: nemini ve-*
strum inter magnas hujus temporis curas &
molestias sollicitudine cura & labore
adesse desistam.

••• o •••

ULB Halle
004 367 324

3



B.I.G.

Black

8	7	6	5	4	3	2	1	0
19	18	17	16	15	14	13	12	11
18	17	16	15	14	13	12	11	10
19	18	17	16	15	14	13	12	11
19	18	17	16	15	14	13	12	11

Farbkarte #13

Blue

Green

Yellow

Red

Magenta

3/Color

White

Black

Pu. S. 10
Pub. 4. num. 9.
1721, 1

PETR. FRID. ARPE
ANTECESS. KILON.

**PRIMITIÆ
ACADEMICÆ**
SIVE
ORATIO INAUGURALIS

ÆQUILIBRIO
INTER
**JURA CÆSAREÆ
MAJESTATIS**
ET
**ORDINUM IMPERII
SERVANDO**

**NEC NON
PROGRAMMA**
**DE
NECESSITATE ET USU STUDII
JURIS PATRII.**

KILÆ CIMBRORUM, LITTERIS HÆREDUM REUTHERI.
M DCC XXI.

